Laus Dextrinae, et ad hanc exercendam Nostros mendicos, ut turpem egestatem effugiant, adhortatio.

XV.

Et si vestri Consessus, Humanissimi
Auditores, Amplitudo, ea iucunditas, ea
qua hactenus nos Oratores semper pro-
secuti estis, benevolentia, ut hodie ad
perorandum non tantum invitet, quantum
rapiat. Et verè raptus hanc ornatissi-
mam cathedram conscendi, siquidem inter
sacrum et saxum constitutus quid hodierna
luce dicendum sit ignoro. Proxime elapsis
diebus acriter Mendicos nostros proscripsi,
vituperavi, execratus sum. Hodie, fateor,
nisi ijdem essent, in eodem adhuc mare naviga-
rent, illos certe laudandos existimarem.
Attamen cum in eodem subiecto duo contra-
ria sese neutiquam patiantur, Nescio, Auditores
Ornatissimi, qua ego ratione id, quod nostris
viribus impossibile censetur, mea imbe-
cillitate perficere et exequi possim,
nescio, inquam, qua ratione laudes cum vituperijs
et vituperia cum laudibus in nostris mendicis
componam. Nunc igitur, quid mihi faciendum
Auditores? ad vos me converto, vestram
sapientiam ego consulo. Num vituperiorum
caligine extincta, laudum splendorem inducam?
Suadet quidem hoc Antagonistae mei Oratio
sed non suadet hoc religiosa honestas. quid